

II. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 62.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum. Die Martis. 4. Sep. 1810. (Neov. 21. Aug. 1810.)

2. Homines natalibus, vitæ genere, fortunis opibus-
que jus adepti, pro lubitu etiam infantiendi,
lufui indulgere possunt, quippe ipse jam So-
phocles agebat: tabula luforia & ocellatæ nu-
ces (aleae) lenimen hilare defidiæ." —

Barbeyrac.

Colloquentes Manes.

Barbeyrac. — Affligio.

Affligio. Dicant alii, quidquid placet —
lulus quidem Contractus est, prout alii Con-
tractus: — amittere vel lucrifacere — quivis
rerum & fortunarum suarum dominus & dis-
pensator illimitatus est; — quid publici sta-
tus interest, qua ratione quis opes impen-
dat — an picto folio, an ollæ fortunæ com-
mittat & periculo exponat — quod unus
amittit, lucratur alter; regimini imperantique
eadem & par ratio esse potest, Petrusne, an
Paulus opes has possideat. —

Barb. Ratiocinatio pessima! — Civitati &
Imperanti jus competit curandi: ut quisque
sui laboris, industriæ, impensæque præmium
consequatur — hoc una & legitima in hu-
mana societate adquisitio. — Multum ab-

que fatigis laboreque lucrari, id est: absque opera & impensa opes aquirere — seu — quod bene notandum — ruinam fortunis suis adferre — hoc quidem Civitati indifferens esse nequit — omnis adquisitio absque labore pessimi exempli.

Affl. Doctrina hæc tua moralis, docte Barbeyrac! ultra modum austera & rigida est.

Barb. An ideo falsa? vera profecto centuplici ex ratione. — Nolo isthuc commemorare Christianam doctrinam, huic toto adducti pectore tabulam Pharaonis adire cavent. Si leges civiles consulas, contractus in lusbis fortuitis inæqualis, proin secundum eas illicitus est. — Præses lusus, quem Bancarium vocant, semper emolumentum habet, hoc probatum & demonstratum est, præterea tabula lusoria & lusus inanimata &, ita loquendo; expers vitæ machina est, quæ nunquam effervescit, ad affectum excitatur nunquam — at lusor, quem puectorem (pointeur) lusoria lingua adpellat, affectibus, qui animum obsidere possunt, agitur & exagitur cunctis — incalescit & aucupatur numos, cupidine pecuniarum accenditur & abripitur; in hoc statu disparitas toto cælo distincta est.

Affl. Vir profecto singularis es! omnes in hac vita ludunt, prout ipsa vita lusus est. infans in sinu matris, confectus ætate senex ad pedem tumuli, feritatis summæ & summæ elegantie aulicæ, omnes lusum ludunt, lusuum genera & numerus propemodum infinitus & vix mente comprehensibilis est, vi-

deturque quasi humana mens universam aciem ingenii sui summam in lusuum inventionem exhaustisse, cum recentiores in ratione connectionis & artificiosæ constructionis suæ veteribus longe inferiores sint, atque pervetusto ludorum omnium facile principi, cujus utpote natales a nonnullis ad tempus Expeditionis bellique Trojani An. Chr. 1255 referuntur, cujusque auctor Palamedes, ab aliis Arabes fuisse statuitur, nullus alius tardiore ævo excogitatus comparari possit.

Barb. Affectus quidem fons quorumvis criminum & vitiorum fuere, ast an non ea propter lusus, non dico scelus, verum malum consecutarium habendi cupiditatis, aut exitii dicendum est?

Affl. Noli commoveri animo, docte Barbeyzac! æstrum ludendi in superiore mundo hodie magnopere defecit. Bellorum tempore fortuiti lusus nimis invaluere. — Exercitus, cum primis Borussia, id axioma adoptarunt: „hodie vivo, cras fortassis jam occubui, periodus igitur hanc alternativam intercedens in usum convertenda est — in luxuria exigenda, in qua lusus principem locum tenet qui imaginationem fortiter distinet — res sane singularis: ab officiali militari parte heroicæ virtutis in eo sitam reputari, si prelio alto ludatur. — In Gallicanis duntaxat exercitiis æstus ludendi non animadvertebatur.”

Barb. Memoras mihi res, quæ nihil adversus mea principia probant, asserta mea nequaquam infirmant.

Aff. Attamen fatebere ultro: ægrotantem. —

Barb. Quid ais, ægrum? —

Aff. Aegrotum inquam amoena mentis & animi remissione omnium maxime opus habere. — Amicus proin humani generis thermis majorem valorem impertivit, cum eas lusoriis Academiis instrueret; spes vitæ aroma est, quæ nuspiam acrius excitatur quam ad tabulam lusus Pharaonis, quavis folii picti conversione nova, etiamsi plurima sui parte cassa, producit germina; hæc ipsa ratio est, quod humana regimina Lotteriarum lusum admittant, in quo pauperrimus quisque aliquot suis vilibus obulis per decursum totius anni & cum principio rursus novi usque exitum spem novamque ac iterum aliam recentem emere potest.

Barb. Sane spem! recte memoras! —

Aff. In plerisque thermis hospitum numerus profecto exiguus esset, si argentum scaturientis duntaxat aquæ, & non etiam aurum lusoriam societatem constituentiam, turbam hospitum ex borea & austro, ab ortu & occasu acciret & alliceret. Res profecto singularis: corda pictorum foliorum vi quadam magica corda lusum amantium cupidorumque vinciunt, atque occulta quædam simpathia est, quæ Punctorem irrefragabiliter ad lusoriam tabulam trahit. Nonnullis thermarum hospitibus sanguis otiose in venis torperet, non sine valetudinis incommodo, nisi per lusum ad celerem motum & circulatio-

nem consoletaretur; sollicitudoque ac cura: folium sinistre converti posse, nonnunquam salutarem sudorem exprimit, quem nullus vapor thermalis tam efficaaciter proliciendo est. Naspiam vitales spiritus tam vivaciter excitantur, quam ad mensam lusoriam in qua *Pharao*, *rubrum* & *nigrum* et *Binibi* luditur, & penes adoumulatas monetarum species aurearum ludum moderantium, metalli illecebræ in multifariis suis formis se explicant.

Barb. Quanta Sophismatum congeries! —

Aff. Et Philosophus ad mensam lusoriam doctrinam haurire potest. Quantæ adfectionum animi formæ in hoc statu non describuntur? Phlegmatica Bancarii animi tranquillitas argumento est, ut Philosophus fati vi imperare possit, interea multi circum eum insolenti coecæ fortunæ lusui, sæpe vero magis ejus sacris initiato sacerdoti pleni desperatione oculos claudunt, ut tanta caligine offunduntur, quanta perfida eorum *Dea* pollet. — Hic convulsiva manu furit in caput crinesque Titi in formam *resed*os, interea alter quietem animi simulans occulto rancore pectus vellicat suum, in quo commotum pultat palpitatque cor. — Contra callidus ingenio cavillante jacturam petulantis aureos ad numerum exigit, quos dextro artificio folii picti spoliū efficit! — —

Barb. Quam elegantem criminis scelerisque textis descriptionem! —

Aff. Morosi duntaxat animi homo lusum ceu perniciosum arguere potest. — Qui lu-

dit quotidie pedetentim avescit cuius jacturæ frigido animo & cum moderata renunciatione perferendæ, & hæc resignatio profecto optabilis & expectanda res est, iis præsertim temporum adjunctis, quibus quidquid sexcentis carum, & sanctum est, continuo lusui patet.

Barb. Desine lusum memorare posthac amplius — jam stomachor, nihil audire volo, video me æthiopem lavare, dum saniora te docere volo — lusor non resipit, etiam fortunis exutus omnibus — vade, sis, in perniciem tuam, qui consilium non recipit, nec opis capiendæ capax est. —

Interim sub proxima sponde viridique umbra, publicis quibusdam Novellis animum diuturno æstu fessum, pauxillum refocillare juvat (legit).

Amstelodamo die 17. Aug. Nudius abhinc tertius Napoleonea, qua par erat, festivitate celebrata sunt. Collustrationes, festivi ignes, popularis Jubilus, Choreæ & communis tripudiatio solennia magnificentiora reddere.

Officiosæ paginæ seqv. decretum promulgarunt:

Director Cæsareorum Teloniorum Commerciali statui notum reddit: vigore percepti Decreti domesticam & fabricatam Nicotianam vedigali quo 9. Julii Coloniasales merces adfectæ, neququam subjectam esse.

Decreta duo, quæ a Calendis Nov. vigore destituuntur, seqv. sunt:

Decreto Berolinensi de 21. Nov. 1806. Insulæ Britannicæ in statu obsidionali decla-

ratæ, omne *Commercium litterarum & quæ-
stus* cum his interdictus est; porro definit: ut
omnes subditi occupatarum ditionum Angli-
canarum in captivitatem deducantur, omnem
Anglicanam proprietatem fisco addicendam
esse, omne commercium cum Anglicanis
mercibus vetitum, nullam navem ex Anglia
admittendam &c.

Decreto Mediolanensi de 17. Dec. 1807.
definitur: omnem navem quæ Anglicana a
nave perlustrata, aut in Angliam adpulit,
aut vestigal ibi deperdit, ceu *Jure Civitatis*
exutem & tanquam bonum spoliū esse, si
per Gallicam prædatoriam aut bellicam ad-
prehensa fuerit. — Quævis navis, cujuscun-
que nationis, quæ ex Anglia aut ejus Colo-
niis advenerit, aut in Angliam & ejus Colo-
nias concesserit; æque ceu bonum spoliū
consideranda &c.

A Pro — Admirali Laurentio Fisket Com-
mendatore Ordinis Danebrogici unciæ litte-
ræ ad Collegium Admiralitatis & Commissa-
riatus allatæ, missæ a Capitaneo navali Equi-
te J. Krieger, e quibus patet: memoratum
Capitaneum in expeditione discursoria cum 5
bellicis Suxæ Majestatis navibus die 19. Julii
7—8 mill. inter austrum & occasum in na-
vium Collectionem incidisse, ex 47 navibus
constantem, sub præsidio Anglicanæ bellicæ
navis Forward Locumtenentia Happer, eum-
que tam secundum successum habuisse, ut
tota Collectione potitus sit, & Christiansen-
diam deduxerit, demta bellica Anglicana,

quæ conspecta Regia bellica nave citatis velis fugam arripuit, nec ab instante bellica nave adprehendi potuit.

B I O G R A P H I A.

Joannes Barbeyrac natus in urbe *Beziere* Oscitaniæ Anno 1664 & defunctus Anno 1729. erat eximius scriptor. Traduxit celebre opus duplex *Sam. Puffendorffii*, de *Jure naturæ et gentium*, item: de *officio Hominis et Civis*; quod postremum principio *Revolutionis* sub titulo: *Jura humana in perverso sensu in usum conversum*. Ejus *dissertatio adversus Lusum* exemplare est, & paradigma operis, hodie, & notæ ejus in *Hug. Grotium* legimur.

Antonius Affligio celebre ostentum suæ ætatis & lusor tempore *Francisci I. Imp.* — Intererat *Electi* Jos. II. *Francofurti* — egitque notabilem personam; eminebat inter potentes splendore & luxu — conduxit *Madriti* Theatrum *Imposæ* nuncupatum, continuo luxuriæ deditus, immensas coacervabat opes, subin, vero nomina contraxit, & illicitis se artibus dedit — profugus ex *Hispania* in *Hetruria* adprehensus ad *triremes* damnatus in summa inopia obiit — horrendum monumentum *inconstantis Dææ Fortunæ!* —



Secre

Elysiu

M

Don
quan
ci X
mult
prob
via
thi,
tur,
man
dere
misa

ocor
nuo
dem
bell
lent
Eur
sim